

demonstrat. nam cœlum solem, & stellas eiusdem esse nature ipsa persuadet sensata ratio, omnesq; præcipuè Peripatetici consentent. At sol speciem ignis ostendit calorem, scilicet, & lucem diffundens, sicut ignis apud nos. & ignis noster, ipsaq; flamma sol apparet, licet impurus ex materie crasse commixtione. Sol quoq; ignem nostrum generat, si lux eius adunetur: vt nulla ratio non persuadeat, nullusq; sensus eum non esse igneum, quippè qui tam remotus assiduo magnum emittat calorem; Candidissimus quoque est; vbi ab interpositis vaporibus non scedatur eius candor, & ignis candidus etiam est magis, quò minus impure admiscetur materie; mobilissimus est etiam summo motu ad sensum. Nec non sit tenuissimus, quippè cum nulla res crassa possit in sublimi stare, & motum edere vllum: vel ex tenuissimis partibus adunatus. Stellas verò omnes eiusdem substantiæ esse videmus, si quidem eandem demittunt lucem distantes, si non tantam, eodemq; feruntur motu. Cœlum verò totum calidum esse manifestum est, quod tenuissimum est, & aere, quæ cœli est portio tenuior, tenuitas autè cœnis opus est caloris. quod, si adunetur, lucet, vt lacteus manifestat circulus, qui eodem cieri cum sole, & stellis motus ostendit; & ipsi vapores à sole, & ab igne educi, elatig; cœli faciem, ostendunt paulò crassiore. Et flammæ inuisibiles factæ à flamma visili, quæ calor vnitus est, qualis quoque apparet sol, visum effugiunt, sicut cœlum, & eodem blando afficiunt calore, nec quod inuisibile cœlum appareat Cerulei (vt aiunt) coloris, non albi, qui igni competit, non sit igneum. talis enim etiam apparet ignis sublunaris purus Aristoteli, licet minimè rationè assignet; quod euenire idèd arbitror, quòd visum nostrum oportet terminari circa visibile quippiam, cum autem respicit inuisibile non terminatum re visibili, videt secundum modum sui, & iuxta colorè in oculi perspicuo humore medio adunato, qui quidem Ceruleus est. At si nigrum quippiam, vel coloratum supra cœlum esset, neutiquam cœlū Ceruleum appareret, sed coloris illius, sicut in aere terminato à terra, vel montibus illorum colores modò nō aeris respicimus. At cœlum album esse sol, & lactea via indicat, quæ eiusdem sunt natura, & visum terminant. Aeris verò mouetur omnis portio, supremam quidem moueri stellæ comatæ, & elatæ nubes docent. Infimam verò declarat sonus, qui auribus cornu, vel caua reposita exauditur, etenim sonus motus est. quam Arist. quoque calidam existimauit. Et profectò si seruat motu calidus est aer, nam inclusus in angusto corrumpitur; motus autem Aristoteli calorè natuum fouet. & non minus aqua seruat motu, priuata quæ corrumpitur, vt calida appareat, à sole enim ipsa fit, restituta quæ entia omnia à solis calore manifestantur, educuntur quæ, vt omnium calor ostendit, qui Aristoteli, & Platoni ab igne fit, & luce. calor autem omnia facit calida. Omnis enim generatio, nutritio, motus, augmentum fit à calore etiam Aristoteli, siccum enim, & humidū nō agunt,

& fri-